



RIOLAN APOLOGIA — 1604










5493/A


A

IOANNIS ANTARVETI MEDICINÆ CANDIDATI

Apologia, pro iudicio Scholę Parisiensis de Alchimia.

Ad Harueti & Baucyneti recoctam crambem.



PARISIIS,


Ex officina Plantiniana.

Apud Hadrianum Perier, in via Iacobæa.

M. DCIIII.




WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY





IO. ANTARVETI MEDICINÆ CANDIDATI Apologia, pro iudicio Scholę Parisiensis de Alchimia,

Ad Harueti & Baucyneti recoctam crambem.

FEstinate viri, nam quæ tam sera moratur Segnities?

Placet ijs versibus affari vos quibus apud Poëtam Androgeos ignauorum militum castigat moras. Annus est ex quo censura Scholæ Parisiẽsis exijt in vulgus, Quercetani

& Mayerni telis fuit impetita, fortiter ab vtroque pugnatum, victi tamẽ dederunt manus: Iacent humi iaculis acutissimis transfixi: Ignaui milites confecto iam prælio, cur acceditis ad pugnam?

Alij rapiunt incensa feruntque Pergama, vos celsis nunc primùm à nauibus itis.

Si decemmestris gestatio sit molesta matri, annua ridiculi istius fœtus parturitio potuitne suis parentibus non esse laboriosa? Imitamini malos Chirurgos, qui vlcera iam obducta solent refricare. Vultis ambo insigni aliquo facinore nobilitari vt olim Herostratus templi Dianæ incendio: Speratis fore, obscuri homonciones, vt nomen aliquod apud

veſtrates acquiratis contradicendo Scholæ Scholarum omnium celeberrimæ. Sic olim Celtæ, ſi Ariſtot. creditur, tonantem Iouem iaculis impetebant. Sic Gigantes pro honore certarunt cum Ioue.

Tantus amor laudis, tantæ eſt
victoriæ curæ.

Ter ſunt conati imponere Pelio oſſam, vt illum de ſuo ſolio deturbarent: verùm vt illos ſuo fulmine percuſſit, & ex alto deturbauit, ita Schola Pariſienſis ſolo nominis ſui ſplẽdore veſtros franget impetus, veſtraque conſilia, vt Sol nubes, diſſipabit: Quid enim hoc aliud quàm contra Solem aut contra ventum meiere?

Quamuis ſeriùs & imparati veneritis ad pugnam, nihilque

præter obiectiunculas magna ex parte dissolutas afferatis. Tamen respondendi munus libenter

Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.

Impar enim esset congressus Achillis cum Troilo.

Infœlix puer, atque impar congressus Achilli.

Erastus inquis (*quamuis Alchymiæ hostis iuratus*) *eam tamen non omnino damnauit*, neque schola Parisiensis remediorum chymicam præparationem omnino repudiauit, sed cum his medica consilia inire non potest qui principiis, morborum causis, & remediis à dogmaticis dissentiunt. Qui physiologiam, Pathologiam & Therapeuticem à dogmatica planè

differentem conſtituunt.

Exiſtimat chymicam præparationem eſſe partem pharmaceutices, non conſtituere artem differentem: cur inde concludis chymicos ſpoliari delectu remediorum? Cur potius quàm pharmacopœi?

Quæ conſequutio? duo ſunt pharmacopœi præcipua officia, deligere medicamentum & ſelectum præparare, Chymici ſunt quidam pharmacopœi, qui ſuo modo præparant remedia, *ergo ſine delectu*, Falſum concluſum, hoc enim eſſet noſtris pharmacopœis commune: An quia Chymici deligunt remedium ſimile. Ideo nullum, quia actio omnis à contrario?

Deſignatus cenſor demon-

ſtrabat chryſopœiam & præparatoriam non poſſe cogi in vnum & idem corpus artis, quia fines habent differentes, hoc argumento : Artes differunt fine non aliter quam res naturales forma ſeu ſpecifica differẽtia. Chryſopœo aurum eſt pro fine, præparatori ſanitas, ergo non poſſunt cogi in idem corpus artis, de hoc nullum verbum.

Obiicis : præparatio chymica eſt artificialis, ergo ars, ridiculè. Quia omnes pharmacopœorum præparationes debent eſſe artificiales, An ſingulæ diſtinctam artem conſtituunt? Qui tam turpiter offendit in limine, non poteſt in progreſſu quin cadat ſæpiſſimè.

Medicamenta quæ proſunt amarore vt abſynthium & aloë ventriculo, ſi ſuo ſapore ſpolientur, quis neget priuari ſuo vſu præcipuo & naturali?

Finis eſt ſumma artis perfectio: quæ difficiliora pulchriora · difficilius eſt partẽ affectã, cauſam & ſpeciẽ morbi dignoſcere quã remediũ morbo accõmodatũ inuenire: difficilius inuenire quàm inuentum preparare: propterea noſter Coriphæus, ei qui iſta tria nouerit facile eſſe curare affirmabat: πέκμαρσις eſt pars medicinæ, vt difficillima ita præſtantiſſima: inuentio proprij & morbo accommodati remedij difficilior eſt quàm inuenti præparatio: nil facilius quàm inuentum præparare, poſſum

extempore in mille formulas inuentum remedium permutare: vos inueniendi remedij habetis à nobis planè differens fundamentũ; Hoſtibus enim naturæ (morbo & cauſæ morbificæ) opponimus ſuum contrarium: vos vtrumque ſimili fouetis.

Chymici ſanant morbos, quos dogmatici putant inſanabiles, vt elephantiaſim, arthritidem nodoſam, epilepſiam inueteratam, hydropem confirmatum, nonne Apoplexiam fortem, & dyſenteriã atrabilariam?

riam !: Impoſtores quidem vt credulos emungant, recipiũt omnes ſanandos; verùm inani ſpe fallunt. Eſt-né veriſimile ab hominibus veræ medicinæ ignaris eos ſanari poſſe quos

Apollo & Æſculapius non ſanarint? quos Hippoc. iubet in prognoſticis ſtatim initio inſanabiles denuntiari? Qui ſecus fecerit, aut eſt ignarus artis, aut ſceleratus.

Exigua quantitate ægros liberamus illo tædio quod ijs ſubeundum qui magna mole hauriumt medicamenta; quod effugere nequeunt qui ordinaria curantur methodo. Hoc potiſſimum nomine veſtra remedia Scholæ ſunt ſuſpecta, nam vt venena ſunt funeſtiſſima quæ exigua mole interficiunt, ita medicamenta ad naturam venenorum propius accedunt quæ minima doſi purgant: Vos illa diluitis multo liquore, vt aliquot guttas ſpiritus vitrioli magno aquæ cyatho, nos ſuc-

cos pauco ſaccharo dulcoratos parciore liquore: vtrius remedij quantitas moleſtior? Vtrius qualitas nocentior? Veſtra ſpiritalia proprijs & naturalibus integumentis ſpoliatis vt veſtiatis alienis. amputatis naturalem tibiam vt auream reponatis.

Dico iterum atque iterum nos non vti Scammonio, ſed diagredio, nos non vti colocynthide, ſed Trochiſcis alandal, id eſt illis correctis, imo diagredio aut Trochiſcis Alãdal raro vtimur niſi plurimorum acceſſione ſublata malitia, vt cùm in catapotia aut electuaria dura vel mollia coguntur.

Noſtra remedia præferenda eſſe demõſtraui, quia minore

pretio væneunt: minoris væ-
nire patet, eo quod pro libra
vna materialium vix vna drag-
ma ſpiritus elicitur: Pauci ſunt
Antonij qui velint haurire v-
nionem Cleopatræ aceto aut
ſucco citri diſſolutum: mor-
bum relinquitis priore gra-
uiorem, nempe inopiam.

Noſtra diutius ſeruantur, imo
ſpiritalis ſubſtantia citius va-
neſcit, & in tenues auras diſſi-
patur quam materialis:

Præſtat expertis, & iam vſu
longo probatis remedijs me-
deri quàm per mortes facere
experimenta: Siquidem expe-
rientia fallax, pro circunſtan-
tijs perſonæ, ætatis, ſexus, tẽ-
peramenti, loci, temporis,
immutantur remedia: Sæpe

quod vni profuit nocet alteri: Quod prodeſt vno morbi aut paroxyſmi tempore, nocet alteri: In filia fieri periculum graue: Certius eſt ijs vti quorum maiores noſtri tulerunt pericula: (*Nihilne ergo licebit experiri?*) licet aliorum inopia: Sed quid neceſſe eſt metallicorum vim purgatricem experiri cùm ſuppetant naturæ noſtræ magis amica, ſiue requiras benigna, ſiue mediocria, ſiue exagitatoria, quæ trahant de prima, ſecunda aut tertia regione, non promiſcuè, ſed cum delectu, quę de metallicis non poſſis affirmare, quia purgant irritando.

Ad luem veneream cùm fruſtra tentata eſſent infinita

remedia, licuit experientia analogica ab vnguento enulato cum Mercurio, ad malignã ſcabiem accommodatiſſimo, tranſire ad ſimile remedium in ſimili cauſa. Sed quotus quiſque eſt qui hoc poſſit! poſſuntne periclitatores, veræ medicinæ ignari.

Magiſterij perlarum doſim guttam vnam cõſtituit veſter monarcha: quæ, vt ille ait, nõ poteſt excedi ſine vitæ diſcrimine: Libauius aliquot exemplis demonſtrat ea ipſa doſi ab authore præſcripta plurimos interijſſe inteſtinis acrimonia eroſis.

Audax periculum quod cum vitæ diſcrimine ſuſcipitur: Si eſſentia vnionum adeo ſit periculoſa, de cæteris quid ſperan-

dum? Experiẽtia genuit artem inexperientia fortunã, inquit Aristot. inexperti solent esse temerarij, experti cum iudicio & ex arte, spectatis commemoratis circunstantijs, iam pertrita & vsu longo confirmata vsurpare solent remedia.

Antimonium tanquam humanæ naturæ capitalem hostem Libauius & cliens tuus Quercetanus reijciunt, iampridem Senatuscõsulto damnatum est postulantibus Fernelio, Syluio, Gorræo, Petreo, Dureto, num metuis, ne tuus cliens te trahat in ius coram istis Areopagitis? Ne te sistat ante tribunal tantorum iudicum?

Qui dicit alexipharmaca contineri venenis, vt contrarium contrario, Dicitne eſſe eadem ?qui definit, aut diuidit vnum contrariorum, aut aliquid devno demonſtrat:Idem de altero, contrario tamen modo, docet: proinde ne idē bis dicatur, in arte ſatis eſt de altero dixiſſe: illo enim aliud includitur. Si eſſes logicæ rudimentis, vel leuiter imbutus, iſta ridicula non obijceres: nil enim apud logicos magis tritum, quàm vnum contrarium altero contineri, propter cauſas dictas.

Chymica quis negat eſſe vomitoria ? Nemo, ſubuertunt enim ventriculum maligna ſua qualitate non aliter quàm venena.

Paramus quoque extracta cum aquis refrigerantibus. Qui non distinguitis temperiem à vi purgatrice, cùm purgatio fiat à calore, refrigerantibus inutiliter retunditis vim purgatricem, nos calidum siccum temperamẽtũ moderamur qua de re plura aduersus Quercetanũ.

Sitne acutus morbus sine febre, Galenus ipse tres excipit: Apoplexiam, Tetanum & choleram morbum: ergo sibi contradicit: Disce? vt omnia naturæ opera dicuntur ab Aristot. quæ fiunt semper aut vt plurimùm: (rara enim vt monstra non sunt artis:) ita physica pręcepta eodem autore satis est si non semper & in omnibus, saltem in plurimis esse vera: non est regula tam generalis quæ

non patiatur aliquam exceptionem, ista vincula respondentis animum nō admodum vinctum tenent, facile est istis cōpedibus sese expedire: istarum obiectionum solutiones sub scamnis nostræ scholæ reperientur, adeò frequentes iactātur huiusmodi quæstiones.

Non refugimus vsum aquarum stillatitiarum; illis enim vtimur hyeme & in id tempus asseruamus, sed æstate cùm suppetant herbæ, malumus vti decoctis quàm aquis stillatitiis, quia retinent aliquid alieni caloris, quod gustu ipso percipitur: in decoctis verò non aliter vim purgatricem, aut alteratricem deponunt plantæ, quam carnes in iusculis, nostra enim decoctio planè

ſimilis eſt elixationi, veſtra extracta, deſtillata & eſſentiarum perquiſitiones, vſtioni; vſtione perdunt vim purgatricem, purgant quædam, ſed irritando ſine delectu: ea autem dicuntur propriè purgare quæ purgant cũ delectu.

Formas naturales non agere ſine materia certo modo temperata tam ſæpe & tam doctè demonſtratum eſt à cẽſore contra Quercetanum, vt pudeat me eadem ad nauſeam inculcare. Temperies illa corrumpitur mixto in ſua principia diſſoluto, neque enim manet ea vis in partibus quæ erat in coniunctis: ineſtne ſero, caſeo & butyro ea vis quæ lacti? multò min⁹ manet in naturis quas ignis artificialis ſecreuit: at in liquorem ſuam temperiẽ

ſeu victricẽ qualitatẽ, cũ tẽperie facultatẽ tã purgatricẽ quã alteratricem deponũt mixta, quæ tota& integra infunduntur & coquuntur à nobis ſi nõ tota ſumãtur: Aqua & oleũ maceratione longa aut coctione, mixtorum vires congenitas excipiunt, vt cera mollis preſſi ſigilli characterem; veſtrorum vis eſt acquiſita nõ eſſentialis.

Non oportet nos eſſe valde ſollicitos temperiei conſeruãdæ dummodo virtus conſeruetur, Imo non poteſt vis eſſe naturalis abſque tẽperie, non poteſt animus videre abſque oculo certo modo tẽperato & conformato: noua vis quæ acquiritur vſtione, eſt violẽta, arte quæſita, non à natura inſita, denique alia à congenita; Auctus calor eſt febrili ſimilior, quã natiuo, deſtructor poti⁹ quã ſeruator.

Ordinarium Guajaci decoctum, si non palato, saltem naturæ est magis gratum quàm vestrum extractum, nil tam amicum naturæ quàm quod naturale, in pauco sępe magna noxa. Sudores quidem mouet, vt quoduis aliud hydroticum, sublato specifico; à quo præcipuum speratur auxilium.

Chymistæ separant noxium & inutile vt essentia meliores edat actiones. Vtinam alchymiæ opera noxium de tuo cerebro separasses: vtinam haberes spagyria defæcatum cerebrum, oculo mentis acutè videres Deum naturæ nil facere frustra. In eius operibus nihil esse inutile: nullam esse non tantum hominis, sed cuiusque operis diuini particulam quæ

non habeat ſuum vſum: demonſtrauit hoc Galenus in homine quindecim libris de vſu partium, vidit deus quod omnia à ſe facta erant valde bona. Sunt quidem venena & venenata ſecundum quid, alicui, non obſolutè noxia: mixta conſtant quatuor elemẽtis cum ratione temperatis, quorum nulla portio inutilis: demus in operibus Dei eſſe aliquid inutile, aliquid noxium non abſolutè ſed homini, hoc ſolùm diſtinguere poteſt author mixtionis. Quod ſi tu lynceis oculis aſpiceres, poſſeſne igne à bono & vtili ſeparare? Quod tu ſecernis tanquam noxium, erat fortaſſis maioris vſus quàm quod retines, plus proderat ad edendas mixti

actiones.

Quod separas tanquam inutile, sæpe vtilius est eo quod reseruas: exempli loco, magisterium perlarum, Ladanũ opiatum, & Mercurius precipitatus, quæ tuo iudicio separasti ab inutili, sunt venena aut facta aut multo labore secreta: de magisterio perlarum hoc patet, quia exibitum ea dosi qua iubet illius author, interficit: de Laudano ita Libauius: Ladanum, vt à Zuingero & Eraito scriptum est; colicos primùm iuuit, post quædam tempora more lentorum venenorum contrariam noxam attulit, eos enim omnes morti dedit: essem Cræso ditior si tot haberem nummos, quot Mercurius

præcipitatus

præcipitatus ſuſtulit: Curnon ſeparatis potius noxium & inutile ab alimentis quàm à medicamentis cùm debeant aſſimilari? Faciliorem enim redderetis aſſimilationem

Eſſentiæ ſecretæ meliores edunt actiones. Itane mixta ſua forma naturali, ſua temperie, ſuo natiuo & moderato calore priuata, ſine materia eo modo à natura temperata & conformata qui conueniat propriis functionibus obeundis, meliores edit actiones! Poſſuntne abſque illis actiones mixtorum eſſe naturales? poteſtne forma mixti; vis & actio naturalis, permanere in partibus igne diuiſis?

Poteſtis dare veſtris eſſentiis & extractis actionem natu-

rali vehementiorem & calorem intenſiorem, non poteſtis meliorem, imo non poteſtis abſque temperie retinere naturalem; Qui aliter ſentit, deo & naturæ iniuriam facit, hoc falſo fundamento malus Genius docuit vos mixta corrumpere.

Ariſtoteles paſſim affirmat naturam ſemper facere quod melius: factum eſt à natura, ergo non potuit melius, quia opus naturæ veluti exemplar arti ad imitationem proponitur. Actio naturalis phyſicorum omnium opinione eſt optima, poteſtiſne arte veſtra dare meliorem? Poteſtis genita corrumpere, non poteſtis generare: ſi diſſoluero mixtum in elementa, vt tu

in tua principia, eruntne ſingulorum actiones meliores? erit quidem ignis calor vehementior, quia illius actus in mixto à ſuo contrario erat tẽperatus, non melior.

Proba temperiem perire. Probo: Temperies eſt concentus miſtionis, miſtio elementorum prius alteratorum vnio: atqui hanc vnionem vos dirimitis quando miſtum in ſalem Sulphur & Mercurium Vulcano veſtro diſſoluitis, ergo naturalem temperiem corrumpitis.

Proba diſtillata & extracta non eſſe materiata. Sint materiata, non tamen eo modo qui propriis functionibus conuenit temperata;

aliud eſt conſtare aliqua materiá, aliud conſtare materia, certo modo temperata & conformata, ſi mauis, materia naturalem ſuam temperiem & conformationem retinente. Proba tu remanere genuinam temperiem in ſecretis tribus principiis & eſſentiis.

Chymici non vtuntur ſolis oleis. Hurnius comparabat oleum Chymicum aniſi cum eius decocto, ego inquit coli cruciatus placaui aniſi decocto, quos eius oleo demulcere non potueram: cenſor de obſtructione idem affirmauit.

Calorem in tenuiori ſubiecto minus calefacere falſum. Hoc Ariſtot. 4. meteor. demonſtrat exemplo ferri; ferrum candẽs magis calefacit, quàm

ignis ipſe, accenſus ignis in tigno vehementius calefacit quàm in palea aut in papiro, incorporatus denſiori ſubiecto non tantùm eſt permanẽtior, ſed etiam vehementior, quia intenditur vis, ſubiecti denſitate, minuitur raritate. Cur diaria febris ocrùs tollitur quàm humoralis? Inter humorales quartana diuturnior, Hectica longiſſima, præſertim ſi iam in partibus ſolidis radices egit? quia calor pro varietate ſubiecti eſt permanentior & vehementior.

Duo requiruntur ad actionem phyſicam, cõtactus, quia omne agens phyſicum agit tangendo; ſi ſedes morbi ſit in habitu, poteritne integris viribus vna eſſentiæ ſpiritalis gut-

tula eò peruenire? (*Mora*) quia omnis actio physica fit in tempore & successione partium, nulla fit momento, sit igitur insignis & cõtumax obstructio messenterij, poteritne omnes illius venas subire paucus spiritus? Vanescet prius quàm hoc opus absoluerit, quia vis agentis permanet causa solidioris subiecti, hinc fit cùm è parte dissita trahendum est, vt medicamentum detur potius forma solida, (vt Catapotij, vel tabellæ) quàm liquida.

Astringentia debere esse terrestris substantiæ scripsit Galen. Quod obiicis, non obiicis ad illius mentem, quia intelligendus est de rebus naturam integram seruantibus:

Rhabarbarum exempli gratia purgat adſtringendo, ſeparetur à materia infuſione aut extractione, ſpiritus: ille purgabit nõ aſtringet; materia verò adſtringet non purgabit.

An ſales Chymici ſint principia mixtorum conſtitutiua.

SCripſit auctor Apologiæ Salibus, præſertim cauſticis, quales ſolent eſſe chymici viuens neque generari, neque nutriri, proinde nõ ineſſe actu nec ſecerni poſſe, non eſſe principia conſtitutionis naturalis, proinde neque diſſolutionis. Tu obiicis valde calida à medicis in medendo vſurpari. Quid ad rem? non quæritur ſi ſeruiant medendo, quis enim hoc neſcit cũ fiãt ex

illis optima pyrotica? ſed ſi generãdo aut nutriendo: nullum cauſticum nutrit, nullum generat: hæc enim ſunt opera caloris temperati nõ febrilis, Atqui Sales chymici ſi nõ omnes, ſaltem maiori ex parte ſunt cauſtici, ergo ſunt inepti generationi & nutritioni.

Quid ſi dixero cineres frigidos. Neſcis plurima aquea vt vinũ & ſanguinem, plurima quoque terrena, vt calcem & cineres ſubſtantia eſſe frigida, taliaque ſentiri; potentia verò eſſe calida, occultus fomes ſeſe prodit cùm aqua perfunduntur, tum vis in ſinu materiæ deliteſcẽs erumpit: quemadmodum calor vini etiam refrigerati, cùm à ventriculi calore in actum educitur.

Frigida erodunt quia mordicant vt acida: ſucco enim citri vniones diſſoluuntur. Frigidum quidem mordax ſcripſit Hippocr. non abſolutè, ſed vlceribus mordax, rationem reddit Galen. quod cutem integram frigidi ſubſtantia ſubire non poſſit: penetrabile frigus vrere, ſcripſit Latinus poëta, ſed vrit per accidens, nempe ob antiperiſtaſim repulſo intus calore, qua cauſa ſubterranea calent hyeme ; citra controuerſiam eſt, erodere proprium eſſe caloris, ſuccus citri non ſoluit vniones erodendo, vt neque hirci aut leporis ſanguis adamantem, aut poſca ebur, acetum teſtã oui: nõ curas quid, dummodo aliquid dicas, tantum poteſt apud te contradi-

cendi ſtudium: Ariſtoteles diſtinguit Sophiſtam à philoſopho, quod Sophiſta diſputet contentioſè, ad opinionem & ad victoriam: Philoſophus ad veritatem; propterea Sophiſtæ etiam ex falſis & improbabilibus diſputant, quia non curãt quibus artibus dummodo vincant; Philoſophi verò non tantùm diſputant ex veris, ſed etiam, quando rei natura patitur, ex neceſſario veris.

Proponis nodum quem putas Gordium, eumque à ſolo Alexandro Chymico diſſolui poſſe: Scripſit Gale. acria perdere acrimoniam vſtione, cætera non acria eam acquirere.

Cauſam non explicauit neque explicare potuit, quia erat ignarus

chymiæ. Reſpondeat pro Galeno medicinæ candidatus, acrimoniam acquiri aucto calore ad certum, puta ad tertium, gradum; quem cum accedente vſtione excedãt acria, acrimoniam amittunt, cætera (ſi modo fuerint tenuis ſubſtãtiæ) cùm ad iſtũ caloris gradũ peruenerũt, eandẽ acquirunt.

Deberet potius vſtio acribus augere acrimoniam. Falſum, quia caloris & frigoris certi ſint gradus, quorum ex ceſſu, defectu & moderatione varij ſapores oriuntur; Non eſt trimeſtris medicus qui hoc vinculum non ſoluat, quod tu propter ignorationem veræ medicinæ putas inſolubile, mauiſq; cauſã ad ſalis fixi & volatilis figmẽtũ referre; audet tamẽ pygmę⁹

certare cum Gigante, muſca cum elephante, Haruetus cum Galeno & cum Schola ſcholarũ omniũ eruditiſſima.

Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam,
Viribus & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

An Curandi ſint ægri ſimilibus.



Vrat medicus cùm remedium accommodatum depellẽdo morbo præſcribit, cuius duo ſunt prima officia, ſanitatem pręſentem conſeruare, & abſentẽ reſtituere: reſtituitur, remota cauſa pri-

mùm antecedente, deinde cō-
iuncta: Cauſæ morborum an-
tecedentes ſunt duę, Plethora
& Cacochymia, plenitudo de-
pletur vena ſecta, impuritas
minuitur purgatione, vtrum-
que magnum remedium pu-
gnat cauſæ, vt priuans, non vt
aduerſum. Ariſtot. in Metap.
demonſtrat ex quatuor oppo-
ſitorum differentiis priuatio-
nem eſſe primam & comuniſ-
ſimam, quia in omni oppoſi-
tione vnum extremum habet
rationem habitus, Alterum
formæ: hoc oppoſitionis ge-
nere vomitus vomitu curatur,
fluor fluore, ſic alimentum
ſedat famem, replens depletū,
pugnantque vt replens deple-
to; vomitus igitur arte excita-
tus, στερητικῶς, priuatiuè repu-

gnat vomitui ſymptomatico, quia tollit cauſam morbificã:

Hoc oppoſitionis modo tollitur quoque cauſa coniuncta morbi, nempe humor impactus parti. Faciamus cerebrũ humorum copia grauari, deplebitur errhinis, maſticatoriis cucurbitulis, frictionibus capitis, quæ repugnant cauſæ morbi priuatiuè. At ſublata cauſa, quæ remanet mala diatheſis, quæ primùm fecit & fouet morbum, quo remedij genere tollenda? ſimiline an oppoſito? In hoc vertitur cardo totiùs controuerſiæ, hic ſtatus cauſæ. Eſto affectus frigidus, (qualis ſolet eſſe) vſurpabis quæ roborent partem, nempe Cephalica. Quæ? an promiſcuè & ſine delectu,

an potius frigidæ intemperiei oppones cephalica calida, vt ſaluiam, maioranam, ſerpillum: Calidæ, frigida, vt roſam, violam Nympheam, ex quibus fotus, Anacollemata, litus, vnguenta, emplaſtra: Indicatio prima ſumitur à morbo; hic enim eſt primus medentis ſcopus, morbum vt hoſtem naturæ profligare: etiam hoc ſolo ſe depellēdum indicat, quia contra naturam eſt, Quidquid patitur à contrario patitur, ſimile non agit in ſimile, alioquin, idem ageret in ſemetipſum: Secunda indicatio ſumitur à viribus: natura enim conſeruāda, quia ipſa eſt quæ ſanat, ab ea ſanationis primum principium, morbos leuiores ſola ſanat, grauiores

arte adiuta: Morbus inquam fugatur à ſuo contrario; natura (partis vel totius non refert) ſeruatur ſimili, alimento potiùs quàm medicamento: caro & panis, quibus natura roboratur, qua qualitate repugnāt morbo? Videris neſcire quid ſit per ſe, quid per accidens prodeſſe, quid primò, quid ſecundò, In febribus primariis ſeu eſſentialibus, vſurpaſne remedium ſimile parti quo roborata depellat febrem? Febres humorales curanturne remedio alicui parti ſimili? Hecticæ curatio quam partem reſpicit? cui parti ſeruandæ ſtudebis, cùm totum corpus laborat? Cliens tuus lōgè aliter ſentiebat, Vſurpandum quidem remedium morbo

contrarium, ſed cauſæ morbi ſimile, vt morbum ſalis ſale depellendum, morbum exaltati ſulphuris ſulphure profligãdum, Authorum diſcordia eſt falſitatis nota certiſſima.

Si verbo tantùm à dogmaticis diſſentitis, cur tam animosè Hippocratis axiomati cõtradicitis; morbos cõtrariis profligãdos. Contradictio eſt oppoſitio eorumdem in eodẽ ſignificato, ſi dixero canem latrare, ſubintelligens domeſticum, tu verò non latrare, ſubindicãs ſydereum aut marinũ, non contradicis, quia vterque noſtrum verum dicit. Nos dicimus medicamentum primò per ſe oppugnare morbum, ex accidenti tantùm adiuuare, quia iuuat qui tollit impedi-

mentum, vt qui baiulum aliqua oneris parte ſubleuat; Alimentum verò ſeruare naturam primò per ſe, ex accidenti morbum tollere, quia natura ſimili adiuta, faciliùs ſuum hoſtem expellit. Tu putas non intereſſe quo modo ſi per ſe an per accidens iuuet dummodo iuuet, duaſque primas & generaliſſimas indicationes ſeruare naturam & morbum pellere confundis, nos diſtinguimus, diligentiſſimè, quia ars, quæ per accidens inſunt non conſiderat, tantùm ea conſiderat quæ per ſe. Sit ergo veſtra hæc aſſertio.

Quod tollit morbum iuuat naturam,
Remedium tollit morbum;
Ergo iuuat naturam.

Reſpondeo remedium primò per ſe tollere morbum, tantùm ex conſequenti naturam adiuuare,

Item, *Quod roborat naturam morbum tollit,*
Alimentum naturam ſeu vires roborat,
Ergo depellit morbum.

Seruat vires per ſe primo, ex conſequēti, depellit morbum, imo natura depellit, non alimentũ, ſed alimēto roborata.

Parcat lector ſi paulò fuſiùs de iſta quęſtione diſputauero, quia inueniendi remedij, proinde artis medēdi eſt primum principium.

Medicus qui primo instituto quærit remedium naturæ simile, eóque veluti ad primum scopum aciem mentis dirigit, non minus errat, quàm si primùm quæreret alimentum morbo profligando accommodatum, non prius & potius quod seruandis viribus conueniat, ex consequenti duntaxat morbo resistat. Cum res ipsa loquatur, cur tam obstinatè resistitis veritati? illa est tam perspicua, vt solo suo lumine omnes istas nubes facilè discutiat.

Baucyneto.



E ſutor vltra crepidam, ſolis artis peritis licet de cõtrouerſiis quę in arte mouẽtur ſentẽtiam ferre, tu qui neque dogmaticorum, neque vt exiſtimo Chymicorum remediorum vnquam periculum feciſti, qua fronte tantæ controuerſiæ audes te conſtituere arbitrum? Vidimus te Lutetiæ otiantem, ſi quando ægris adeſſes, aderas vt amicus non vt medicus, Renunciarunt mihi D. Feüræus & Riolanus, cùm adeſſes amico tuo dyſenteria laboranti, ruerentque

quotidie omnia in peius, quia morbus videretur arte ſuperior, rogaſſe te vtrumque, vt remedio quodam Chymico (ſi quod haberes arcanum) amicum tuum iuuares; tantùm abeſt vt laborantem iuueris, cùm iſtis remediis maledixeris, artemque iſtam vanã & fallacem ingenuè profeſſus ſis. Quid te coegit tam repẽte mutare ſententiam, niſi ſtudium contradicendi Scholæ doctiſſimæ, vt aliquis videaris? Clyſteris & ſuppoſitorij nomina erant tibi noua & inaudita, tantum abeſt, vt poſſes eorum formulas in rem præſentem deſcribere, adeo vt accuſandi ſint falſi quicumque te periclitatorem nuncupant, quia nullius, vt opinor, periculum

adhuc fecisti. Tuis itaque obiectiunculis inuitus respondeo: Tamen quia spero futurum vt monitus redeas ad frugem feres hoc responsum.

Quæstio illa si ad Trismegistum referri debeat Chymiæ inuentio, iam ex Galeno dissoluta est, qui olim nugas vestris similes Mercurio adscriptas fuisse scribit, vt ex tanti viri antiquitate & authoritate aliqua fides imposturis conciliaretur.

De Platone & Platonicis philosophi melioris notæ modestiùs & sapientiùs senserunt quàm tu. Ab illis enim omnibus Plato diuinus perhibetur. Plutarchus octauo symposiacôn ex Homeri Iliad. ω. citat hunc versiculum.

Creditur ille deo haud mortali ſemine natus.

Omnia ſua opera & ſcripta non tantùm ipſe à deo exorditur, ſed exordienda omnibus ſuadet, propterea Apuleius profitetur in eius ſcriptis ſe nihil obſeruaſſe niſi cæleſte & diuinum, dæmones quidem bonos ſeu Angelos honore proſequitur, malos odit odio pluſquam vatinian⁎. Ariſtot. ipſe illius tumulo hoc eulogiũ inſcripſit.

Vt virtute queant fœlicem ducere vitam;
Nulla ferent talem ſecla futura virum.

Creditur in Ægyptum nauigaſſe, vt Moſis Theologiam addiſceret, cui tam multa ſcripſit conſentanea, vt paſſim à Ficino

Ficino Moses atticus perhibeatur, qua causa quid vetat Trismegistum Mosem alterũ nominare, vicissimque Mosem ipsum Trismegistum qui fuerit summus sacerdos & summus imperator? Ægyptij suos sacerdotes ex philosophorum scholis deligebant, ex sacerdotibus suos reges.

Probas Paracelsum non fuisse Chymiæ authorem, quia multi ante illum Chymici extiterunt. Verùm qui artem sepultam exsuscitat, quidni illius author perhibetur? propter vanitatem iacebat in tenebris, à doctis omnibus neglecta Cacodæmon ministro Paracelso mortuam resuscitauit, & quasi nouam vitam illi dedit, in ruinam operum Dei & perniciem

generis humani; ille docuit mixta corrumpere, hoc falſo ſubnixus fundamẽto, ſpoliãda eſſe ſua materia, vt ſeparentur eſſentiæ, quibus ſi ſeruetur vnus mille pereũt: hæ ſunt artes maligni ſpiritus. Cæterum Ficinus pręfatione in Pimandrũ Triſmegiſtũ in cœlum vſque extollit, mihi ſatis eſt digitũ ad fontem intendiſſe: Pro inſtituto hæc pauca tranſcribam.

Triſmegiſtus inſignis fuit propheta, qui prædixit aduentum Chriſti, ruinam veteris, & ortum nouæ religionis, pręrdixit reſurrectionem, futurum iudicium, beatorum gloriam & ſupplicium peccatorum. Quo factum eſt, vt D. Auguſtinus dubitarit ſi ſummi Dei afflatu, an reuelatione dæmo-

num tam multa præuiderit. Lactantius illum enumerat inter prophetas, cur non potius quàm Plato alter Moſes?

Alchymia commendatur à Quercetano, quod Democritꝰ eiꝰ ſtudio & amore teneretur, obijciebat Cenſor illũ non potuiſſe bonum eſſe Chymicum, quia perſpicax viſus in Chymico deſideretur, vt diſcernat colores: Ille autẽ ſemetipſum excecaſſe dicitur: quo facto, ſubiungebat Abderitarum iudicium confirmari potuiſſe, qui illum melancholicum exiſtimabant: Hippocrates tamen ab illis ad curationem vocatus, inuenit illum occupatum in animalium diſſectione, vt eorum naturas ſcrutaretur, quæ eſt vera Alchymia.

Hæc ſunt verba cenſoris. Quid obiicit Baucynetus? trã-ſcribit epiſtolam Hippocratis ad Abderitas, qua teſtatur Democritum non deſipere. ô pugionem acutum.

Nihil tam frequens auditur in noſtris ſcholis quàm diſputatio de formis, ſi ſint ſubſtantiæ, vt placet Ariſtoteli; An qualitates, vt Galeno. Schekius ſub ſcamnis noſtræ ſcholæ inueniet huius controuerſiæ conciliationem, Qualitates non omnes, ſed eſſentiales à Stoicis & à Galeno vocari ſubſtantias: Riolanus contrariis argumentis hanc quæſtionem diſputauit primo de Abditis rerum & morborum cauſis, vnde potuiſſes colligere efficaciora argumenta.

Alchymiam metallorum transſmutatricem nobiſcum improbas Carrerij & Schekij teſtimoniis: Laudo. Chymicam verò remediorum pręparationem commendas. Nos non tam obſtinatè reprobamus, quàm vos noſtra ordinaria ab annis bis mille probata.

Venenis continentur Alexipharmaca. Hæc crambe toties recocta mors eſt: Ignoratio Logicæ eò impulerat Quercetanum, Riolanus pepercit homini bonæ philoſophię planè ignaro, Haruetus ad eundem ſcopulum impegit, non poſſum ego quin ſuccenſeam tibi, qui monitus potueris diſcerevnum contrarium altero includi, quia ex aduerſo poſita

magis lucent, vniuſque explicatione alterius explicatio includitur: quæcunque in Ethicis dicuntur de auaro, de prodigo contrario modo dicuntur: definierit magiſter morum audaciam, eiuſque affectiones accuratè deſcripſerit, cùm ad timiditatem peruenerit, illi dixiſſe ſatis erit, timiditatem opponi audaciæ, propterea quæcunque de audaci dicta ſunt, ad timidum contrario modo eſſe referenda, hoc eſt (ſi neſcis) vnum contrarium altero includere; Alexipharmaca ad venena reuocare. Cùm Zeno ad medicinæ ſtudium animum appuliſſet, interrogareturque à diſcipulis de quæſtione Logica; Nolite me (inquit)

ad iſta puerilia reuocare, Parcant Muſæ, quia me cogitis.

Quæſtio de opio, ſitne calidum (cùm amarum) an ſummè frigidum, quia ſtupefacit, diſputata eſt pluribus contra Quercetanũ, nihil tam odi quàm Tautologiam de ladani opiati virtute nouiſſimè authore Libauio.

Non eſt ſemper præferendum medicamentum quod naturæ gratius. Præferendum ſemper (cæteris paribus) quando morbi & ægri natura poſtulabunt, qua de re plura ad Battologiam Quercetani, in quam videris incurrere cùm eandem crambem toties recoquis.

Cur vt Ammoniaco, ita plantis materialiter non vteris. Vtimur plantis non tantum infusis aut decoctis, sed integris tam sumptis quàm admotis: infusæ & decoctæ deponunt alteratricem & purgatricem vim in liquorem, quam si dixeris victricem qualitatem seu temperiem, aut formam mixti, verè dixeris: vt autem calida calorem, frigida frigus suum, seu vim refrigerandi naturalem, in conuenientem liquorem, vt aquam & oleum, deponunt, quia qualitates essentiales seu proprietates essentialium principiorum consequẽtes, facilè de subiecto proprio in alterum capax migrant: sic assumpta, lacti & sanguini eandem vim & proprietatem

impertiunt, hoc modo nutricis lac purgans aut alterans efficimus, de quo etiam aduersus Quercetanum, qui mallebat ſpiritum quàm vim, temperiem, aut proprietatem in ſubiectum capax tranſmitti. Vos qui ſecretione temperiẽ, vim & proprietatem naturalem corrumpitis, poteſtiſne idem de veſtris alterantibus & purgantibus affirmare? Nos infundimus & coquimus integra, vos diuiſa in ſua principia exhibetis. Veſtra ſunt intemperata, hoc eſt ſua naturali temperie priuata, ſine qua mixta naturalem actionem edere non poſſunt.

An Crocus Martis ſit inuentum Chymicum.



DOgmatici ad inſignes obſtructiones lienis & fædos virginum colores, vtuntur frequenter croco Martis, eo modo, quo ab Albucaſi deſcribitur, martem ſeu ferrum in ſcobem comminutũ tum Crocum dicimus, quando vſtione accedit ad colorem croci. Vtimur etiam non vſto authore Rhaſi; ſi Albucaſis fuerit chymicus neſcio, ſed non meminit chymicorum, quia putauit fruſtra tentari pluribus quod fieri poteſt paucioribus. Tot veterum & re-

centiorum medicorum compositiones extant in officinis, vt vix mediam earum partem in vsum reuocemus, cur nouas quæramus? Syluius & Fernelius, quorum authoritate Alchymiam commendas, non erant illius ignari; Imò quædam chymica approbarunt, neque Schola respuit omnia, mirum tamē quod illi chymica neque purgantia, neque alterantia suis Antidotariis inseruerunt, contenti fuerunt ordinariis, cur hoc? Nisi quod pluris fecerunt nostra? præteritio ista arguit contemptum: Idem de Rhasi, Auicenna, Mesuë, Villanouano & cæteris, quos chymiæ peritos fuisse affirmas dici potest: Illi Dogmaticorum remedia pluris fe-

cerunt, quia vt tuus cliens Quercetanus ingenuè confitetur, ſunt tutiora & benigniora, maluit naturæ quàm gulæ gratificari, illud eſt medici, hoc coqui: Cùm ægrotas tu aut aliquis ex tuis faciſne in illis chymicorum periculum, nonne præfers, Caſſiam, Rheum, Sennam? Quibuſdam veſtrum noſtra adeo diſplicent, vt malint purgari mucerda Paracelſi quam caſſia? Noli abuti authoritate Scaligeri vt præferas ordinaria chymicis, non habuerunt chimici hoſtem capitaliorem vt patet ex his quæ ſcripſit aduerſus Cardanum, contentioſè ſane, Ad victoriam potius quam ad veritatem.

An ſolis dulcibus nutriantur viuentia.

HÆc quæſtio pluribus diſputata eſt contra Quercetanum, quæ contraham in pauca; Vt ſugitur à piſcibus aqua dulcis & à ſalſa ſeparatur, ita plantæ & cætera animalia, quod ineſt dulce exugunt; ſi alimentum ſalſum aliquando aſſumant, aut multiplici coctione dulceſſit; aut ablegatur vt excremẽtum, non faceſſit in ſubſtantiam partis; Quod ita demõſtratur: Succus alimẽtari⁹ qui ſufficitur in locum primigenij debet eſſe eiuſdẽ naturæ

& qualitatis. Atqui primigenius quia aërius, pinguis, oleosus est insulsus, quãdoquidem isti sapores ad dulcem referuntur: Ergo verum, seu actu, si malis, nutriens alimentum nõ est salsum. Vrina fit ex sero cùm suo defunctum est officio; tum enim ablegatur ad venam cauam vnde emulgetur, proinde etiamsi per se naturáque sua esset salsa, non permistione seri, non inde tamen efficeretur Sal inesse actu viuentibus, vt quid essentiale, quia neque vt generans, neque vt nutriens, sed vt excrementum. Vmbri inopia Salis naturalis efficiebant artificialem eo ferè modo quo vos vrinam vertitis in Salem, efficiebant ex aqua non secerne-

bant; Itaque author Apologiæ, Aut ſal inquiebat non ineſt actu plantis & animalibus, aut ſi ineſt & ab illis ſecernatur, ineſt vt excrementum nõ vt alimentum. Aquas ſalſas naturæ noſtræ eſſe valde inimicas experti ſunt qui inopia aquarum dulcium coacti ſunt vti ſalſis.

Incurrerũt enim in morbos etiam aſpectu horrendos, quales deſcribunt longinquarum nauigationum hiſtoriographi. Terræ feraci quemadmodum & animali confert ſalſugo vt condimentum, ſic natura ſanguinem condiuit ſale vt auidius appetatur: Si caro eſſet ſalſa iuſcula in quæ deponit elixatione

ſuccum alibilem, fruſtra ſale condirentur. Etiamſi pauca viuentia ſalſis & amaris nutrirentur, nihilominus maneret verum hoc phyſicum Theorema; Omne viuens nutritur dulci: quia rara non ſunt artis Idioſyncraſiæ, plantarum & animalium ſingulares proprietates, non conuellunt axioma medicum, quia ſatis eſt illud in pluribus eſſe verum.

De amaris eadem ſolutio, multiplici enim coctione dulceſcunt, reliquum vt excrementum foras ablegatur, reſpuitur à natura tanquam contrarium.

Num sales Chymicorum sint actu in mixtis, cum ex illis secernantur.



QVousque tandem salis acrimonia doctorum aures delicatas exulcerabis? Scripsit Censor vos falso asserere mixta constitui à natura ex sale, Sulphure, & Mercurio, quia potestis illa in hæc tria resoluere: si vultis vobis credi, docendum est naturam ipsam res suas in hæc tria dissoluere, quemadmodum dissoluit omnia in quatuor elementa, igneum reddit igni, aqueum aquæ, An Sal sali?

Sulphur Sulphuri? Vidiſti tu vnquam aliquod naturæ opus in hæc tria occidiſſe? Democritus probabilius quã vos ex atomis omnia primùm genita concludebat, quia tandem abirent in atoma corpuſcula, puta in Xyſmata. Vidiſti tu vnquam in publicis cæmeteriis copiam Salis aut Sulphuris, videmus puluerem ſeu cineres, qui ſoli remanent vtroque humido reſoluto, quo veluti glutine cætera cohærebant, hunc puluerem ſi placet appellare Salem non admodum de nomine contendam, ſi modò conſtet non eſſe chymicum, non eſſe igne artificiali ſecretum; Elementa ſunt in mixtis potentia non actu, quia ſine ſuo

actu, retuſo quippe illo à ſuo contrario & ad mediocritatem reducto; Sic humores quatuor ſunt in maſſa ſanguinis, & erunt actu tua principia in mixtis? non fient vi ignis artificialis; ſed ſecernentur? nugæ.

Sintne artis an naturæ opera.

PLacet pauca de artis & naturæ differentia inſerere, quia in hanc arenã me vocas. Ars eſt externum, natura inſitum motus principium. Ars eſt extra opus, vt exemplaris domus in mente architecti; Natura intra, informans quippe ſuum ſubiectum ſubſtantia: Ars cõponit, natura generat: Componit ars ex multis actibus, natura generat ex potentia & actu. Ignis ſi non eſt primariũ efficiens, ſaltem efficiendi primum inſtrumentum, quiquidem eſt duplex, naturalis vel

artificialis: Naturalis verò cæ-
leſtis aut elementaris; Artifi-
cialis, intenſus, remiſſus, mo-
deratus, prout placet artifici:
Operis naturalis, neceſſe eſt
opificem eſſe naturalem, quia
nulla ars poſſit vllum opus na-
turale efficere: Atqui operum
chymicorum efficiens non eſt
ignis naturalis, quia neque cæ-
leſtis neque elementaris; Ar-
tificialis igitur, ideóque facti-
tia chymicorum opera: mate-
riam phyſicam illi tranſmutāt
in artificiales ſeu mathemati-
cas formas, corrupta naturali;
proinde ſunt phyſica ratione
materiæ, mathematica verò
ratione formæ, eo modo quo
æneum aut argenteum trian-
gulum: tota materia domus
eſt phyſica, ſyntheſis ſeu par-

tium ſtructura eſt illius forma, à qua domus dicitur: materia veſtrorum operum eſt naturalis; forma verò non poteſt eſſe naturalis, quia non eſt cõgenita, ſed arte quæſita, ab efficiente non naturali: Et quomodo poſſit eſſe naturalis, cùm ab igne artificiali ſua forma naturali; ſua temperie, ſua conformatione, ſuo vitali & moderato calore ſpolietur? quæ ſunt inſtrumenta ad obeundas naturales actiones neceſſaria.

Si ars mixtum in hæc tria resoluit quomodo possunt actu non inesse.

RESPONDEO: ideo resolui, quia materia in illa transmutatur eo modo quo vinũ resoluitur in aquam vitæ, materia vini rarefactione soluitur in vapores, qui concretione aquescunt: Aqua vitæ non erat actu in vino, sed potentia, quia vinum constat materia in hanc substantiam mutari apta, sic Aqua in Aërem resoluitur, Aër in ignem, cùm tamen ignis actu non sit in Aëre, nec Aër in Aqua,

ſed potentia tantùm, ratio-
ne materiæ in has formas
tranſmutabilis, ſic ſerum re-
ſoluitur in ſudores· Ignoratio
rudimentorum phyſicæ, pepe-
rit in tuo cerebro opinionem
contradictionis.

Si quod numquam vixit nutrire possit.

AVthor Apologię duobus argumentis demonstrauit metalla, vt aurum, necnon lapillos quantumuis pretiosos non nutrire, primò quia etiam in scobem comminuta non possunt solui & liquari à moderato calore, qualis est natiuus. Secundo quia non potius ex illis alibilem succum Vulcanus eliceret quàm aquam de pumice: coctio enim naturalis similis est elixationi: Elixentur quantum voles nunquam deponent humorem succulentum, qualem plantarum &

animalium partes relinquunt in iuſculis. Hanc hypotheſim reduxit ad Theſim, vt ex generali concluderet particulare, hoc modo: viuens iis ſolis nutritur quæ vixerunt, lapides & metalla non vixerunt, ergo non nutriunt, vnde concludebat aurum ſiue ſolidum ſeu liquidum & potabile exhibeatur, non nutrire: Scribit Libauius authore Vlſtadio Marſilium reprehendiſſe aurum potabile, quia fieret cum aquis fortibus & Mercurio, hinc patet Paracelſum imponere & impudenter mentiri, In multos menſes vitã produci poſſe quotidie dato ſcrupulo vno auri potabilis abſque omni alio alimento: quo modo enim poſſet totius corporis iactura

tam pauco reparari! nutritio eſt repletio vacuati; reponendum eſt aliquid in locum ſubſtantiæ quæ aſſiduè deperiit, poſſitne ſemiſcrupulus tãtam iacturam reparare?

Tu obiicis aquam nutrire, quæ tamen nunquam vixit, Cliens tuus affirmabat viuere, quia ſit particeps animæ mundi diffuſæ per vniuerſum, de quo mox: Nutrire verò negant Ariſtot. & Galen. nutriunt quidem aquea, vt vinum, non aqua præſertim elementaris, quia ſimplex & immiſta. Hippocrates appellat Aquam vehiculum alimenti non alimentum; Tu audes Rondeletij & Scaligeri authoritate tantorum virorum doctrinam refellere, quibuſcum

errare malim quàm cum Rõdeletio & Scaligero benè sentire. Si Rondeletius & Scaliger defenderent aquam nutrire, ego autem illis opponerem tantorum virorum authoritatem, probabiliter disputarem, sed tanti nominis authores recentiorum vix dum notorum authoritate, qui nulla ex parte cum proceribus istis sunt conferendi labefactare velle, intolerabile. Agamus ergo ratione non authoritate, hoc enim est philosophari.

Constamus triplici substantia, solida, humida, & spirituosa quarum omnium continenter fit dissipatio, quæ nisi breui reparetur, mors est in propinquo; reparatur autem simile simili, spirituale spirituali, hu-

midum humido, ſolidum ſolido. Aër qui aſſiduè inſpiratur, perennem ſpirituum omnium diſſipationem reparat, fit enim animalis ſpiritus ex vitali, vitalis ex naturali qui partim reparatur benigno halitu ſanguinis, partim aëre in pulmonib⁹ elaborato, & inde ad cor, à corde per arterias quoquouerſum tranſmiſſo; Sic aër dicitur nutrire, ſic multa animalia ſolo aëris inſpiratu perdiu vixiſſe perhibentur, ſic odores nutriunt, multi odore ſolo (vt Democritus panis è furno calentis) per diu vixiſſe perhibentur, permanebat diu vita, permanēte ſpiritu vitali. Aqua verò, humidæ ſubſtantiæ ſupplet defectum, humidum enim hu-

mido reparatur, ſic Aqua nutrit, ſic multi ſolo aquæ potu in longum tempus vitam protraxerunt. Solidam ſubſtantiam ſola ſolida, eáque mixta poſſunt reparare: cùm enim vt dictum eſt nutritio ſit repletio vacuati; ſit autem ſolidum quod depletũ eſt, ſimile quidpiam reponendum eſt: Eſt autem quælibet illius particula mixta, proinde mixto aliquo replenda: Poſſetne ſola aqua aut ſolus aër ignis & terræ iacturam reſarcire! Quod autem mixtum nutriturum vixiſſe oporteat iam demonſtrãdum eſt, hoc enim eſt quod quæritur, Attende.

Nutritio eſt aſſimilatio alimenti, vel potius aſſimilati vnio, aſſimilari autem non po-

test viuenti quod nunquam vixit, quia assimilatione fit pars viuentis, transit in illius naturam, fitque actu viuens: Atqui non fit actu viuens, nisi ex potentia viuente; non dixeris potentia viuere quod nunquam vixit, id solum quod vixit retinet vitæ præcedentis seminarium: Ergo ex his solis quæ vixerunt nutriuntur viuentia.

Item magis distat viuens à non viuente, quàm viuens à viuente: Atqui quamplurima quæ non vixerunt propter naturæ dissimilitudinem nutrire nõ possunt, ergo multò minus quæ nunquã vixerunt. I nunc & principum medicorũ opinionem, sola recentium quorumdam authoritate refelle,

nulla probabili ne dum necessaria subiecta ratione; Audes tamen Scholæ quam omnes docti demirantur, contradicere. Si sapis adde viribus, aut minue audaciam.

An insit aquæ, vitæ principium.

ADuersus hanc thesim nihil nutrit quod non vixerit, Obijciebas aquam non viuere, nutrire tamen: nunc probas habere vitæ principium, quia in ea putrente Vermes generentur, vbi te sedentem inueniemus? Quousque perges eodem ore efflare calidum & frigidum?

Aliud eſt in aqua, aliud ex aqua vermes generari; aliud ex aqua ſimpliciter, aliud ex aqua putri, quia putredine calorem, cum calore nouam vim acquirit.

Hirſuti vermes qui media hieme ſub niue naſcuntur, aucto calore per antiperiſtaſim generantur. De Ephemeris quæ in Cypri Fornacibus naſci ſcripſit Ariſtot. Scripſit vt auritus teſtis non oculatus, qualia multa apud eundem leguntur, vt quod de Celtarum audacia ſcribit in ethicis, Galenus dedita opera in Cyprum nauigauit, vt metallorum & metallicorum proprietates dignoſceret, attamen nihil tale obſeruauit, nec interrogati fornacarij quidquam tale ſe

vidisse vnquam affirmarunt:

Enimuero si tum, quidni nunc? Crediderim potiùs dæmones igneos in regione ignis viuere, quàm pyraustas in fornacum igne ardentissimo: hoc enim argumento falsum conuincitur solum calorem moderatum esse vitalem, solum esse authorem generationis & nutritionis, calorem siccum corrumpere, humidum conseruare, hæc obiter, quæ tu ipse obiicis cõtra temetipsum;

Sic pateris manibus vulnera facta tuis.

Si quinta essentia Chymicorum Spiritui genitori sit analoga.



Vercetanus essentiam Chymicam mauult appellare quartam quàm quintam essentiam, quia expungit ignem de censu elemẽtorum, tu doctius: Agnoscis enim ignem elemẽtaremcum Aristot. Influxus astrorum esse qualitates non substantias vt ille: proinde essentiam chymicam esse quintam, non tamen cœlestem essentiam, sed cæle-sti analogam; eo iure quo Aristot. spiritum genitorem

ſcripſit eſſe aſtrorum calori analogum. Hoc eſt quod controuertitur: Ego contendo veſtros ſpiritus à genitore ſpiritu tantùm diſtare quantum terra à cœlo: Primò quia ſpiritus ille cui vt primo ſubiecto inſidet facultas conformatrix eſt res naturalis profecta ab opifice naturali, Spiritus chymicus eſt res artificialis profecta ab opifice artificiali, ſiue ſpectes artificem, ſiue ignem artificialem: Secundo quia calor genitoris ſpiritus eſt benignus & moderatus, calor ſpiritus chymici immoderatus & exuperans. Tertio quia ſpiritus genitor generat & genitũ cõſeruat, Chymicus vrit, excedit, deſtruit: Nam vnica gutta eſſentiæ vnionum interficit.

Spiritus vitrioli non tantùm tangentis manus vlcerat, ſed etiam lignum & metalla erodit, igneo & febrili ſimilior, quàm natiuo, ſiccus quippe non humidus, ſiccitas autem eſt lima caloris.

Quarto: ſpiritus genitor quas accepit vires à natura conſeruat, gaudet ſua forma naturali, natiua temperie; Vos corrumpitis temperiem & formam naturalem mixtorum, priuatis ea ſpecificis proprietatibus, quæ naturalem formam & temperiem conſequuntur, vt eliciatis vſtulatorem ſpiritum: ex naturali, efficitis nõ naturalem, ex temperato intemperatum, ex benigno malignum, ex genitore & cõſeruatore deſtructorem:

Nulla re majeſtas Dei magis lucet quàm harmonia illa e-lementorum: ex naturis con-trariis temperiem, ſeu mixtio-nis concentum admirabilem elicit. Nihil eſt quod magis nos erigat in opificis admira-tionem: At vos igne deſtruitis iſtum ex contrariis natum mi-rabilem concẽtum, cuius hoc inuentum ſi non diaboli, ope-ra Dei quantum poteſt demo-lientis, & hanc gloriam Deo optimo maximo inuidentis? Adoleſcens quidam Atheniẽ-ſis Leonem à teneris vngui-culis ita domi cicurauerat, vt illum inſtar canis per vrbem comitaretur, cùm Leo adole-uiſſet rediit ad ingenium (na-tura enim fixa & mutari ne-ſcia) obuium ciuem vnguibus

lacerauit : ob id vocatus in ius coram Areopagitis : Senatuſconſulto pulſus eſt in exilium, adiecta cauſa, quod naturæ vim intuliſſet. Animali natura feroci abuſus eſſet tanquam manſueto. De vobis quam tuliſſet ſententiam æquiſſimus Senatus, qui perpetuò naturam violatis, cuius opera ſua forma, ſua temperie, ſuo calore, ſuis viribus eſſentialibus ſpoliatis ? vt igneũ ſpiritum inueniatis, qui non ineſt ſed ab igne vſtulatore efficitur, effectus ſimilis ſuæ cauſæ.

Baucynete ergo, ſi ſapis redi in viam à qua temerè deflexiſti, eiura mendacem artem, deſere periculoſa remedia, vtere potius noſtris, confeſſio.

ne tui clientis, benignioribus & tutioribus : Disce posthac revereri scholam, quæ constat quadraginta viris, quorum minimi vix meruisti esse coquus.

Errata sic corrigito.

Pag. 14. pro alteri lege altero. pag. 25. pro edit, leg. edunt. p. 29. pro ocrius lege ocyus. p. 37. pro formæ leg. privationis. ibid. pro replens depleto, lege deplens repleto. p. 62. pro seri l. sicci.

